mittitur ad Carolum V, à quo parum honestis conditionibus sequenti anno dimittitur, regiis liberis (Francisco & Henrico) obsidibus datis. Qui anno 1529, æquioribus legibus sancitâ pace vicies centenis aureorum millibus redempti sunt. Hæc Dionysius Petavius in Rationario, quæ fusiùs narrant scriptores rerum eo tempore gestarum.

V. 19. *Parce tamen, puer ô, lacrymis.*] Quare *dejicit ejus animum, quem nos semper,* inquit Scaliger, *excelsum agnovimus & judicavimus? volens namque atque etiam libens pro patris libertate subiit illius fortunæ vices. Quin si flevisset, poëtæ intererat affectum illum puerilem aut silentio aut verbis tegere.* Respondebat quispiam: An ergo regum filii lugere non possunt, ne in puerili quidem ætate? An Delphinum dedecebat fletus in tanta calamitate & patris, & regni? Ne persuadeatur viris nobilibus, oportere ipsos esse ferreos, in quibus nihil sanguinis sit, nihil indolis; qui honestè lacrymari non possint, nisi cùm fabulas spectant, & audiunt histriones.

V. 27. *Jamque adeò in primis ne te*]. Di-

dascalici carminis videtur id proprium esse, quamvis à pluribus non servatum, ut aliquis sit, quem alloquatur poëta; uti Hesiodus fratrem suum Persen, Lucretius Memmium, Virgilius Mæcenatem, Ovidius in Fastis Germanicum, Oppianus Antoninum Caracallam, &c.

V. 32. *Versibus unde etiam nomen fecere*] Versus illi, quorum est usus in canendis heroum rebus gestis, dicti sunt heroïci. Aliis in argumentis hexametri dicuntur. Virgilius hexametris Bucolica & Georgica composuit; Æneïdem heroïcis. Hos ab illis discernit non pedum ratio, ac mensura; iisdem enim utrique incedunt; sed majestas styli, & caracteris excelsitas: non quærenda, vel in hydrope Lucani, vel in Statii strepitu, sed in Virgilii sanitate.

Res gestæ regumque ducumque, & tristia bella
Quo scribi possint numero monstravit Homerus.

inquiebat Horatius, Art. poët. 73. At ut Æneis apparuit, simul est acclamatum:

Nescio quid majus nascitur Iliade.
Propert. lib. 2. Eleg. XXXIV. *66.*

V. 52. *Nec jussa canas, nisi fortè coactus Magnorum imperio regum*] Hoc sanè ad Francisci regis filium non pertinet. Quis enim regum, quamlibet magnorum, imperaret Franciæ Delphino opus poëticum? In carmine didascalico non omnes ad eum præceptiones spectant, quem poëta in operis exorsu alloquitur.

V. 64. *Proque videnda*] Et providenda, Lucret. VI. 1260. *Proque voluta*, provolutaque, Virgil. Æn. IX. 288. *Inque salutatam*, & insalutatam, X. 794. *Inqueligatus*, illigatusque. Tmesis.

V. 65. *Quorum vatum indiget usus*] Hoc si notasset Scaliger, non defenderem; est enim durum & tenebricosum. Quanquam tralucet sensus: Quorum indiget usus vatum; quibus indigent poëtæ.

V. 68. ——— *Quæ forsitan ultro,*
Si semel exciderint, numquam revocata redi-

bunt] Si *ultro* intelligatur usitato sensu, ita ut sit idem ac *sponte*, illud *forsitan* erit extra rem & rationem. Certum est enim, neque dubium, quòd, *si redirent revocata*, nunquam redirent *ultro* & sponte. Qui vocatus venit, non venit *ultro*; irrevocatus redit, qui redit *ultro* per se, sponte. Illa itaque duo, *revocata*, & *ultro* nequeunt simul consistere. Aptam solvendi nodi viam monstrat Servius, qui Æneid. V. 55, animadvertit, *ultro* idem esse aliquando ac *ultra*, *ampliùs*. Hoc ergo vult Vida: Sæpe nobis alia cogitantibus quædam in mentem veniunt, quæ si semel exciderint, forsitan, quamvis postea revocemus, nunquam ultra, nunquam ampliùs redibunt. Posset etiam quispiam sic interpungere: *Quæ forsitan, ultro Si semel exciderint, nunquam....* & in hunc modum explanare: Quæ, si semel exciderint sponte nostrâ, nobis non retinentibus, nunquam fortasse offerent se, quamvis revocemus deinceps, & requiramus. Ea de causa Quintilianus x. 3. vult oratori scribenti adesse codicem, in quo notentur quæ scribentibus solent extra ordinem occurrere. Irrumpunt

enim, inquit, optimi nonnunquam sensus, quos neque inserere oportet (operi quod est in manibus) neque differre tutum est, quia interim elabuntur: ideòque optimè sunt in deposito.

V. 75. *Quin etiam priùs effigiem*] Id fecisse Virgilius dicebatur. In ejus vita scripsit Cl. Tib. Donatus: *Æneïda prosâ priùs oratione formare, digestamque in duodecim libros, particulatim componere instituit, ut quidam tradunt.*

V. 124. *Linguam teneris assuescat utramque Auribus*] Linguæ utrique, Græcæ ac Latinæ assuefaciat aures suas & sese. Sic Virgilius Æneid. VI. 832, *Ne tanta animis assuescite bella.* Ne assuefacite animos tantis bellis.

V. 126. *Nostro Æneæ jam conferet igneis Æaciden flagrantem animis, Ithacumque vagantem*] Homerum conferet cum Virgilio: comparabit Æneïdem nostri poëtæ Latini cum Græci. Iliade, quâ canitur Achillis ira, igneusque

igneusque animi ardor, & Odyssea, quæ describit cursus & errores Ulyssis Ithacam patriam repetentis post Trojæ excidium.

V. 136. *Hinc pectore numen Accipiunt vates*] Ovid.

Adjice Mæoniden, à quo, ceu fonte perenni
Vatum Pieriis ora rigantur aquis.

Numen appellat Vida incitationem mentis, & spiritum, ad opera quælibet, maximè verò ad poëtica necessarium. Verè Martialis VI. 60.

Victurus genium debet habere liber.

Quem genium conciliabit sibi scriptor, non vocandis Musis, sed versandis bonis exemplaribus, hoc est præstantium auctorum monumentis, in quibus exemplar sit benè sentiendi & loquendi. Quantùm poëtæ referat suum locupletare ingenium Homericâ copiâ, nemo vidit meliùs, aut splendidiùs monstravit, quàm Virgilius. Hîc aliqua sunt restrictè dicta, quæ fusiùs explicata legi poterunt in Dissertatione Petri Petiti *de Furore Poëtico.* Quod argumentum (dicam in transitu)

miror à nemine hactenus fuisse tractatum carmine didascalico.

V. 143. *Inachiæ....linguæ*] Argivæ, Græcæ. Argis primus regnavit Inachus; de quo Mythologi, & scriptores historiæ veteris.

V. 151. *Artisque Pelasgæ Indociles*] Artem Pelasgam, sive Græcam Virgilius commemorat aliam Æneïd. II. 106. Hîc Vida intelligit poëtandi artem, quâ florebant Græci, & Latini tum carebant. *Indociles*, hoc est indocti, ut explicat Servius, Æneïd. VIII, 321.

V. 154. *Tunc omne sonabat Arbustum fremitu sylvaï frondosaï*] Scripsit Ennius in VI, Annali, quod refert Macrobius Sat. VI. 2.

> *Pinus proceras pervertunt. Omne sonabat*
> *Arbustum fremitu sylvaï frondosaï.*

Unde laciniam Vida scitè decerpsit, rei suæ accommodatissimam. Potest hoc esse exemplum ingeniosæ ac venustæ admodum parodiæ. Hieronymus Columna, *Commentar. in*

Fragmenta Ennii, animadvertit scribendum esse *frundosaï*, quoniam ita scribebant illi veteres, *fruns*, *frundes*, *frundosus*, *frundifera.*

V. 155. *Rudi pater Ennius ore.*] Horatius lib. 1. Epist. XIX. 7. *Ennius ipse pater.* Ut Homerus poëtarum omnium, sic pater Latinorum est Ennius.

Rudi ore : stylo impolito, versibus incompositis. Ovidius, Trist. II. 424,

Ennius ingenio maximus, arte rudis.

Nec mirum quidem, inquit Hieronymus Columna in vita Ennii, si Ovidius poëtæ artem, in qua ipse non admodum excelluit, in Ennio non deprehendit, cùm tantummodo naturali quâdam dicendi facilitate ac fertilitate valuerit. Criticus hic artem dicit, quæ poëtarum est maximè propria, & res non tantùm explicat verbis, sed literarum etiam syllabarumque vel asperitate, vel levore, & numerorum vel tarditate, vel celeritate exprimit. Ad quam observationem eos natura format, quos poëtas esse vult, non meros versuum artifices.

V. 156. *Qui mox Graio de vertice primus*] Lucret. 1. 118. *Ennius ut noster cecinit, qui primus amœno Detulit ex Helicone perenni fronde coronam.* Ex hoc Lucretii videtur fluxisse, quòd Latinos Vida sæpe appellat *nostros.*

V. 180. *Hic namque ingenio confisus, posthabet artem*] *Hic* Ovidius est: nimiùm amator ingenii sui, inquit Quintilianus x. 1. Ovidium amant impensè qui eodem ægrotant morbo.

V. 181. *Ille furit strepitu*] Strepit furenter. Designatur Statius; quem tamen multi proponere sibi ad imitandum malunt, quàm Virgilium. Sed nimirùm pueros delectat strepitus.

V. 263. *Scrius*] Est is in agro Cremonensi amnis, sæpe à Vida memoratus in carminibus, & in libro primo *de dignitate reipublicæ*, ubi hæc sunt: *Expectabam, si unquam... in Sambassianum meum ab arbitris remotum me recepissent ad amœnissimas Serii saluberrimi*

amnis ripas, avita prædiola præterfluentis, quibus nil æstivis mensibus opacius, nihil alsius inveniri potest.

V. 346. *Comitum cœtu se subtrahet*] Est in hanc rem lepida C. Plinii Cæcilii Secundi Epistola 1. 6, quæ hâc sententiâ clauditur: *Experieris non Dianam magis montibus, quàm Minervam inerrare.*

V. 407. *Secus*]. Si aliter faciat, & explorare velit omnia. *Toto vagus exulet orbe.* Eveniet, ut vitam agat exul à patria, per orbem vagus & peregrinator. Verbum subjunctivi modi, nullo præcedente alio verbo adhiberi non potest, nisi per ellipsin; ut ostendit Jacobus Perizonius in Francisci Sanctii Minervam, lib. 1. cap. 13. Hic ergo *exulet* perinde est ac eveniet ut exulet.

V. 459. *Longas.... Iliadas*]. Poëmata longiora, ut est Ilias Homeri, atque alia ejus generis. In veteri est proverbio Ilias ad significandam longitudinem operis, & rerum mul-

titudinem. Cicero ad Attic. lib. VIII. epist. 11. *Tanta malorum impendet Ilias.*

V. 463. *Fulmineus mus*] Designatur Homeri Batrachomyomachia. Statius præfat. in librum primum Sylvarum: *Culicem legimus, & Batrachomyomachiam etiam agnoscimus, nec quisquam est illustrium poëtarum, qui non aliquid operibus suis stylo remissiore praluserit.*

V. 488. *Procul urbis .... fugiat strepitus*] Horat. lib. 2. Epist. II. 77. *Scriptorum chorus omnis amat nemus, & fugit urbes.* Narrat Plutarchus, lib. *de Curiositate*, solitos fuisse antiquos ædificare musea longissimè ab urbibus.

V. 523. *Magnique argutos ætheris orbes*] Dicit *argutos*, hoc est sonoros, quoniam ex Pythagorica doctrina, *impulsu & motu cælestium orbium efficitur dulcis sonus*, ut refert Cicero, Somn. Scipion. cap. 5.

V. 529. *Caucaseo sævas det vertice pœnas*] Hesiodus in Theogonia, 520.

V. 534. *Dodonæ*] De Jovis Dodonæi templo, & oraculo, Pausanias lib. VIII.

V. 536. *Insonuit Themis alma*] De Phocico, sive Delphico Themidis, posteaque Apollinis templo atque oraculo, Apollodorus lib. I. Ovidius Metamorph. I. 369. Pausanias lib. IX.

V. 538. *Antiquis Faunus*] Virg. Æn. VII. 81. Servius.

V. 539. *Sibyllæ*] Quo tempore scribebat Vida, erat honestum adhuc Sibyllarum nomen, & sacrosancta propemodum auctoritas; quæ nunc jacent.

V. 551. *Pecudesque feræ, mutæque natantes*] Horat. Art. poët. 393. De piscibus Ælianus, Hist. Anim. l. XII. c. 45. Oppianus Halieut. l. V. vers. 451. Nota est Arionis vel fabula vel historia, quam ex Herodoto l. I. c. 24. narrat Aul. Gellius, l. XVI. cap. 19. Ait Plinius, H. N. lib. IX. sect. 8. *Delphinus*

non homini tantùm amicum animal, verùm & musicæ arti, mulcetur symphoniæ cantu.

V. 553. *Sylvasque trahunt*]. Virgil. Eclog. III. 46. Horat. lib. I. Od. XII. 7.

V. 554. *Tartara, & umbræ*]. Virgil. Georg. IV. 481. Horat. lib. III. Od. XI. 15.

LIB. II.

VERS. I. *Pergite, Pierides...*] Vidæ propositum fuit, poëtam *teneris ab annis educere, & in vertice* Parnassi *sistere:* hoc est, docere quæ sit via puerum informandi primoribus literis; & juvenem instruere præceptis ad poëtica efficienda opera necessariis. Primum illud confecit libro superiore: hoc alterum in eos, qui sequuntur, duos reservavit.

Finitimus est oratori poëta, inquit Cicero, *Orat.* I. 16. Uterque in orationis cultu elaborat; alter, ut persuadeat, alter, ut voluptatem paret liberalibus ingeniis consentientem. Oratoris officium est invenire argumenta, quæ

ad illum conducant finem persuadendi; inventa ordine apto collocare; idoneis denique sententiis ac verbis convestire: ita Poëtæ cùm data vel oblata est materia, quam tractet carmine, ejus est munus excogitare aliqua, quæ in eam immissa materiem, aptâ coagmentatione, & styli luminibus adjunctis, opus efficiant ejus formæ, in cujus contemplatione elegantium ingeniorum admiratio acquiescat. Officium ergo, quemadmodum Oratoris scribentis, sic Poëtæ est triplex: invenire, disponere, eloqui. Præcepta elocutionis complectitur liber tertius; in hoc secundo illa sunt, quæ ad inventionem pertinent & dispositionem.

Jam Inventio, quâ de agitur, non rem spectat, aut personam, quæ argumentum præbet, & titulum poëmatis. Achilles iratus secedens ab exercitu, Ulysses in patriam rediens, Æneæ adventus in Italiam, Segetes, Horti, Apes, Columbæ, Aurum, Stagna, Pluteus, &c. sumuntur ista è medio, & sumpturos exspectant. Sumat quisque quod suis sit aptum viribus, & ferre valeant humeri;

agrum optet, cui sufficiat colendo. Itaque poëmatis fundum non suppeditat Inventio; sed locupletat, perficit, exornat, eique monumentum inædificat mirandi operis. Causam pro Milone agendam non dedit Ciceroni oratoria Inventio, sed illam, quâ viget Ciceroniana splendescitque oratio, argumentorum copiam, & varietatem ornamentorum. Æneæ in Italiam adventum Virgilio suppeditavit vel historia, vel fabula:

Arma virumque cano, Trojæ qui primus ab oris
Italiam fato profugus, Lavinaque venit
Littora; multùm ille & terris jactatus, & alto.

En fundum poëticæ Inventioni non obnoxium. Quidquid præterea totos implet libros duodecim, à poëtica Inventione est.

V. 11. *Namque mihi reperir eapta, atque reperta docendum Digerere, atque suo quæque ordine rite locare*] En libri hujus propositio & materia, idoneè breviterque monstrata.

V. 13. *Durus uterque labor*] An ergo *labor* nullus est, aut non *durus*, in accommodatione

verborum ac numerorum ad res exprimendas? Si quis ita interroget; est quod respondeam. Horatium si audimus, *Art. Poët.* 311, cautio sumendi materiam non majorem viribus, & eam bene cognoscendi laborem vix relinquit in elocutione, ac dispositione:

Cui lecta potenter erit res,
Nec facundia deseret hunc, nec lucidus ordo,
Verbaque provisam rem non invita sequentur.

Ibid. *Sed quos deus aspicit æquus*] Ii, quibus favet Apollo; quos ad poëticam laudem formavit *Genius, naturæ deus humanæ*, ut ait Horatius lib. II. Epist II. 188.

V. 14. *Sæpe suis subitò invenient accommoda votis*] Huc illud conferri potest, quod monuit Virgilius, *Georg.* II. 49, *Quippe solo natura subest....* Qui ad poëticam sunt laudem nati, & habent genium, in his non tantùm cogitandi facultas inest; sed etiam fœcunditas excogitandi; hoc est fingendi creandique speciosas rerum imagines, quas amat Poësis, sine quibus ipsa nulla est.

V. 15. *Altera nempe Arti tantùm est obnoxia cura*] Arti obnoxia non est inveniendi cura, sive inventio poëtica, sed sola dispositio. Non enim artis est, sed naturæ atque genii fingere, ac procreare materiem. Ars procreatam accipit. Purpuram, crocum, cerusam, colores alios natura tradit arti : pictura miscet, ac temperat. Marmor terra sufficit : Statuaria partes detradit multas, donec figura, quam in marmore, & qualem quærit, appareat.

V. 22. *Quos ores autem non magni denique refert*] Ergone dicturus *Bella, horrida bella*, implorabo Pacem, & cum Lucretio dicam ?

Te sociam cupio scribundis versibus esse,
Quos ego de furiis Gradivi pangere conor.

Factum, opinor, Vida non probaret ; & hoc vult tantùm, præter Musas atque Apollinem, invocari posse alios ; quemadmodum Aratus in Phænomenis compellavit Jovem : Virgilius in Georgicis præsides rerum rusticarum... Etsi autem in his errare jam potest nemo, & poëtæ, qui Musas, Phœbumve patrem implorârit, violatæ religionis inferre crimen ; nihilo-

minùs videndum est etiam atque etiam, quid ferat ratio, & lex decôri præscribat; nève, quod in Sannazario jure est improbatum, argumenti sanctitatem violet mistura profanæ fabulositatis. Si non præceptum Vida, exemplum dedit certè. Musas in Poëticorum libris his, Nymphas in Bombicibus inque Scacchia invocavit: at in Christiade ad opem confugit divini Spiritûs.

V. 24. *Jovis*] Profana vox, at sano intelligenda sensu. Porrò non sic poëtarum est propria in operum principiis invocatio, ut ab oratoribus adhibita non fuerit. Demosthenes orationis de Corona exordium à precatione duxit. Plinius in Panegyrico: *Bene ac sapienter, P. C. majores instituerunt, ut rerum agendarum, ita dicendi initium à precationibus capere; quòd nihil ritè, nihilque providenter homines sine deorum immortalium ope, consilio, honore auspicarentur.* Hujus verò moris curnam fuerunt poëtæ tenaciores, quàm alii? Nimirum id fecerunt veteres, sibi ut assererent venerationem ex divino afflatu, commercio cum immortalibus, utque verisi-

militudinem suis narrationibus conciliarent; in quibus pleraque sunt communem extra notitiam, & ultra credulitatis modum posita. Noluerunt successores ab antiquorum exemplo recedere: ita factum, ut Invocatio pars sit necessaria poëmatis.

V. 26. *Nec sat opem implorare semel*] Virg. Georg. IV. 315, Aristæi fabulam exorsurus invocat, *Quis deus hanc, Musæ, quis nobis extulit artem?* Idem novam instituit invocationem, Æn. VII. 41, *Tu vatem, tu, diva, mone.* XI. 525, *Vos, ô Calliope, precor, aspirate canenti* X. 163, *Pandite nunc Helicona, deæ....*

V. 30. *Incipiens*] Refert se Vida ad præcepta de Propositione: quibus si illa interseruit quæ ad invocationem pertinent, id videtur fecisse quoniam hæc Propositioni præmittitur aliquando, aliquando subjicitur, aliquando conjungitur.

V. 31. *Nil tumidus*] In exordiis, inquit Quintilianus, IV. 1, *vitandum, ne contume-*

liosi, maligni, superbi, videamur. Procemium decebit sententiarum & compositionis modestia. Quem enim non offendat atque à legendo deterreat Statii tumor in Achilleïde? ne alios commemorem.

V. 40. *Nomine nunquam Prodere conveniet manifesto*] Poëma vel Epici est generis, vel Didascalici. Hoc in explicatione rei cujuspiam, vel cognoscendæ, vel efficiendæ versatur; illud in rerum gestarum narratione. Neutri video posse accommodari universè id, quod Vida præcipit; si lubeat veterum insistere vestigiis. Aratus certè in exordio Phænomenôn, Musas vocat ad canenda sidera; Lucretius se profitetur versus pangere de rerum Natura: Virgilius, *Quid faciat lætas segetes.* In Epico genere, si Odysseæ propositio non habet Ulyssis nomen, sed

Dic mihi musa virum, qui terris multus, & alto
Erravit, sacra post eruta mœnia Trojæ;

at in Iliados procemio Achilles non opertis significatur indiciis, verùm manifesto nomine proditur,

Dic, Dea, Pelidæ furias & pectus Achillis.

Lubet quærere tantisper, quid hoc sit rei; curnam aliter cum Achille actum, aliter cum Ulysse. Geminam præmitto cautionem, ut pergam ordine legitimo.

1. Qui Ulysses Latinis, idem Græcis Odysseus; & Odyssea dici posset Ulyssea, vel Ulysseis.

2. Ilias, Odyssea non sunt substantiva nomina, sed adjectiva. Hæc inscriptio, *Homeri Ilias*, habet ellipsin. Integra est: *Homeri Poësis Ilias:* Fabula Iliaca, de rebus ad Ilium gestis. *Homeri Odyssea*, est Homeri poësis Ulyssea, sive de rebus ab Ulysse gestis. Ejusmodi ellipses in titulos induxit brevitatis studium. Sic Ciceronis *Cluentiana*, *Maniliana*, est defensio Cluentii; suasio legis Maniliæ. Hæc arbitror datum iri ab omnibus, qui latinè norint. Jam ad rem.

Odysseæ titulus & inscriptio habet Ulyssis nomen. Necesse ergo non fuit poni ipsum in propositione operis. Sed cùm inscriptio promittat universè fabulam, seu poësim, quæ ab Ulysse argumentum sumat, opus fuit

fuit explicari, quam Ulyssis actionem, & quam vitæ partem poëta scribendam susceperit. Id præstat propositio, quæ quod latet in tituli contractione, distinctiùs exponit; nempe res cantari Ulyssis, non bellantis ad Trojam, sed in patriam redeuntis.

Inscriptio Iliados non habet Achillis nomen; idcirco in propositione est expressum. Titulus poësin promittit Iliensem, id est, fabulam, cujus argumentum sit petitum ex rebus ad Ilium gestis: propositio definit velle poëtam canere Achillis iram & rixam cum Agamemnone.

Quod dixi de Odyssea, dici hoc ipsum de Virgiliana potest Æneïde. Nam hæc vox adjectiva est pariter; (masculini generis est *Æneïdes*, feminini *Æneis*) titulus ellipsin habet quoque, & poësin promittit de rebus Æneæ. Hic autem Trojani belli tempore multa fortiter & præclarè gesserat, & post Trojæ excidium, in Italiam deduxerat Trojanorum coloniam: titulum circumscribit propositio, arctatque ad res Æneæ post bellum Trojanum, quo tempore sedem in Italia dedit Trojanis. En quod exploratum volebam,

cur in poëmatis propositione sit aliquando heroïs nomen, aliquando non sit.

Itaque poësis Ilias, poësis Odyssea, poësis Æneïa, vel Æneïs, perinde dicitur, ut nostri proavi dicebant: *le Roman de Troie la grande: le Roman d'Achilles prince Gregeois: le Roman d'Æneas de Troie: le Roman du Roi Ulysse & de la Princesse Nausicaa.*

V. 51. *Ergo age*] Descendit Vida ad præcepra Narrationis. Narratio in epico genere, de quo agitur maximè, corpus ipsum poëmatis conficit: est enim poëma, Actionis magnæ, admirabilis, heroïcæ ad verisimilirudinem composita narratio. In didascalico genere id præstat rei propositæ tractatio poëticâ oratione. Quod quid sit, certiùs ac meliùs docebunr Georgica Virgilii, aut *Pulvis Pyrius* Francisci Tarillonis, aut Vidæ hæc opera, quàm ulla præceptorum coacervatio.

V. 58. *Atque per ambages*] *Non enim res gestæ versibus comprehendendæ sunt, quod longè meliùs historici faciunt; sed per ambages, deorumque ministeria, & fabulosum sententia-*

rum tormentum præcipitandus est liber spiritus, ut monet auctor carminis de Bello civili. Historicus à veritate non recedit; poëta sequitur admirabilitatem; resque narrat, non uti evenerunt, sed quemadmodum evenire potuissent, intervenientibus diis, atque operam conferentibus. *Fabulosum* porrò *sententiarum* illud *tormentum* quid est? Fictionum tortus, obliquationes, circuitus. Nam, ut ait, Lactantius, 1. 11, *officium poëtæ in eo est, ut ea, quæ verè gesta sunt, in aliquas species obliquis figurationibus cum decore aliquo conversa traducat.* Feret Lector remitti se ad ingeniosam, & criticò sale conditam * Diatriben hominis bene litterati Caroli Batteussii, quæ Gallico sermone non ita pridem conscripta est. Adnotabo unum hoc dumtaxat: in poëmate didascalico locum non esse *fabuloso* illi *sententiarum tormento*, & numinum interventui, præter quàm ad metamorphoses. Reservantur hi actores heroïco poëmati. Adhibeatur Vulcanus, si sunt *arma*

* *Operis titulus :* Les beaux Arts réduits à un même principe. *Vide Part. III. Sect. I cap.* 4.

acri facienda viro : sed ne incudem fatiget aut folles, ad stivam Tityro alicui, aut Menalcæ fabricandam falcem. At sunt, qui magnos fore se poëtas opinentur, si tot fabulis breve aliquot didascalicum poëma farciant, totque fulciant machinis, quot in tota sunt Iliade. Quis furor, quæ mala mens transversos agit poëtas, ne velint ducem habere Virgilium? Minùs est, inquiunt, ingeniosus. Foret ergo ingeniosus, si arationis tradentem præcepta Cererem induceret, & Aristeum, mellificii : si aratri monstrasset originem in aliqua metamorphosi : si ad parandos vomeres, rastros, crates, vannos usus esset Cyclopum manibus, Sylvanorum, Nympharum, poësinque didascalicam, cujus tota vis est in præceptionibus, traduxisset ad fabulosas narrationes. Id fecisset sanè, si, quod nesciebat, scisset ineptire.

V. 74. *Ilii.... excidium*] Narrationem Trojani excidii, cui causam dedit judicium Paridis. Æn. 1. 31. Horat. Lib. 1. Ode xv.

V. 77. *Hectore duro*] Hectore per Achillis

absentiam, Græcos duriter reprimente. *Dum Priami domus pugnaces Achivos Hectoreis opibus refregit.* Horat. Lib. 3. Od. III. 27.

V. 79. *Graves iras de virgine rapta*] Iliad. I. Neminem fore arbitror, qui non hæc malit legendis Homeri carminibus, quàm jejunis ex annotationibus cognoscere.

V. 91. *Sed jam tum Ogygiam delatum*] Odyss. I. Hoc egit Vida, ut ad cognoscendos poëticæ artis principes excitaret juvenum studia; ab instituto nolim discedere.

V. 108. *Hoc studium*] Legendi operam & studium ægrè & inviti dimittimus.

V. 109. *Nonne vides, ut sæpe aliquis*] Exempla, quæ proferuntur, petita sunt ex Iliados Lib. III. & Odyss. XXI. Viget Homerus incredibili ubertate ingenii ac linguæ; mirus fingendi artifex ac narrandi; ipso Apolline magis Apollo : at non semper scit tenere modum; videtur non rarò artem ostentare, ac velle experiri, quantùm in suspen-

dendis tenendisque animis possit. Hoc est quod notat hoc loco Vida. Faciet operæ pretium, qui leget Renati Rapini librum de comparatione Homeri & Virgilii. Hic, Virgilium dico, solus sciit tenere modum.

V. 129. *Hinc.*] Quoniam docet ratio, sic esse inflammanda lectorum studia, tenendosque animos, Virgilius multos inducit, qui res eventuras indicent: quod fecit etiam Homerus.

V. 189. *Multa tamen Graiæ fert indulgentia linguæ*] Multa indulgent sibi poëtæ Græci. Quippe ut vetustiores Latinis, ita minùs remoti ab incultu illo, quem natura non refugit.

V. 190. *Nostros.... graviora sequentes*] Vida *nostros* cùm dicit, non Italos designat scriptores, sed Latinos: uti jam est animadversum. Hic videtur respexisse, quod scripsit Martialis, Lib. 9. Epigr. XII. 16.

Nobis non licet esse tam disertis,
Qui Musas colimus severiores.

In scribendo enim Græci veteres naturæ obsequebantur unicè ; Latini positis ab arte legibus adigebantur.

V. 192. . . . . . *Sunt qui, ut se plurima nosse Ostentent*] Notatur fortassis Dantes Aligherius, cum divina sua Comœdia : itemque Angelus Politianus, de quo ita scripsit Jul. Cæsar Scaliger, in Hypercritico : *Politianum traxit ardor eruditionis ad stylum sylvarum. Itaque & lectionis variæ condituris, & impetu excursuque, Statio propior ac similior... Modò ostentet se multa aut recondita nota habere, satis habet.* Et sunt qui existiment, neque opinor sine causa, Homerum nimis voluisse, multiplicem suam rerum variarum notitiam apparere.

V. 220. *Sæpe etiam accumulant antiquæ exempla virorum*] Dantem hîc quidem Aligherium non poterunt non agnoscere, qui ejus poësin legerint, quæ inscribitur *la divina Comedia.*

V. 209. *Aut duri cantantes prælia Martis*] Hoc est in heroïco poëmate.

P iv

V. 210. *Aut terræ mores varios, cultusque canentes*] Sic designat Poëmata didascalica; quoniam nihil in eo genere præstantius est Georgicis Virgilii: quo factum opinor, ut nonnulli didascalica quævis non aliter appellent quàm Georgica: cùm nihil neque in rerum natura sit, neque factum arte, quod non idoneam suppeditet perito artifici materiam didascalici carminis; ac si unus hic jam patêre videtur campus, in quo se indoles poëticæ exerceant, postquam epicum præclusit morum opinionumque mutatio; at patet tam latè, ut labori sæpe defuturus sit faber, nunquam fabro labor. Quemadmodum de copia fabularis materiæ dixit Phædrus, lib. IV. XXV. 7.

V. 337. *Non sic Ausonius Venulus*] Æn. XI. 242. Homericæ simplicitati Vida hîc opponit cultum Virgilianæ artis. Nimirum ut Homeri poësis exemplar fuit, unde Aristoteles diligenti observatione formam expressit Artis poëticæ: sic Virgilium imitatorem Homeri, atque emendatorem respexit Vida, ut imaginem perfectæ poëseos effingeret.

V. 345. *Ficta potes multa addere veris*] Modò rem solerter tractet poëta, ut de ipso dici possit illud Horat. III. Art. Poët. 151.

Ita mentitur, sic veris falsa remiscet,
Primo ne medium, medio ne discrepet imum.

V. 352. *Cùm secura tamen*] Hîc Vidæ desidero judicium. Loquentem facit aliquem ex Epicuri grege, & Homeri commenta coarguentem, proptereà quòd minùs consentiant cum decretis Epicuri, sciscentis, divinam naturam degere procul ab omni rerum humanarum procuratione summoram. Id facit Vida, quod cavillator, qui ipsi, aut mihi, ejus interpreti, in uno acquiescentibus Virgilio, Claudianum opponeret, aut Statium. Responderemus: Quid nobis est cum Statio aut illo altero? Vice Homeri dicam: Non profitebatur Græcus poëta cum Horatio, I. Sat. v. 101. *Deos didici securum agere ævum.* Si in ea fuisset sententia conditor Iliados atque Odysseæ, numquam sanè deos fecisset tam negotiosos, tamque exercitos.

V. 381. *Unde ipsi Graii nomen fecere poë-*

tis] Si Græcam spectes vocis originem, poëta est *factor, artifex*; ut ferunt Glossæ veteres. Hinc Vida colligit poëtam esse dictum, quòd res verbis ita exprimat, ut non tam describi videantur, quàm fieri. Hoc si quis probat, bene sit. At malim, quod dat Julius Pollux in Onomastico, lib. iv. cap. 7. *Poëta*, *cantor*, *cantator*. Græca tria vocabula non describo; ne legentes absterream. Hoc tantùm addo: *Artifex* Latinis est etiam *musicus*. Quocircà Nero moribundus lamentabatur: *Qualis artifex pereo!* Non tamen hæc grammatica de vocis originatione, dirimet controversiam graviorem: utrum potius sit poëtæ officium, comminisci fabulas, an versus componere. Adeunda est illa, quam indicavi jam antè, ingeniosa Caroli Batteussii diatriba, parte tertiâ.

V. 399. *Mutant*] Cave legendum putes, *mutans*; quasi sensus sit: *mutatur cæli tempestas, mutans simul hominum pectora*. Illud *mutant* positum est absolutè, inquiunt grammatici; quemadmodum Virgilius posuit *vertere*. Georg. ii. 34.

Et sæpe alterius ramos impune videmus
Vertere ad alterius.

Hoc est, videmus ramos alterius arboris convertere se in ramos alterius. Id absolutæ constructionis genus habet quoque in verbis ejusdem significationis sermo noster Gallicus.

V. 455. *Præterea haud lateat*] Sententiam hanc, quæ bene scribendi ostendit principium, & fontem aperit, splendidè illustrat Batteussiana Diatribe, de qua superiùs.

V. 449. *Quove tenere queat*] Iliad II. Ostenditur Homeri exemplo & Virgilii, oportere poëtam esse rhetorum præceptis & dicendi arte quàm instructissimum.

V. 535. *Neve aliis*] Æn. I. 478. Ait Priamus Iliad. XXIV. 257. Troïlum suum fuisse ex curru pugnacem.

V. 541. *Nostri*] Poëtæ Latini, maximè Virgilius; hic enim unus vidit quid deceat.

V. 544. *Tute*] Vox contracta ex *tu ipse*,

nam *S* transit in *T.* Videri potest *Tractatus Gerardi Joannis Vossii de litterarum permutatione.*

V. 545. *Fatidicæ Mantûs*] Æn. x. 199. Ocnus commendatur isto versu; quo dextrè abutitur Vida, ipsum ut designet Virgilium. Quem versus in Æneïdos contextu sensum habeat, exponent illius interpretes. Ego Vidæ hanc operam debeo. Virgilium appellat *Mantûs* filium, quoniam Mantuanus erat civitate; Andibus in pago tractûs Mantuani natus. Dicitur quoque *Tusci amnis*, id est, Tiberini, *filius.* Nempe Tiberis designat Romam, & Romanus erat Virgilius adoptione, commoratione, ingenii ac styli elegantiâ.

V. 554. *Dum post in melius*] Cicero Tusc. 1. 1. *Meum semper judicium fuit, omnia nostros aut invenisse per se sapientiùs quàm Græcos; aut accepta ab illis fecisse meliora, quæ quidem digna statuissent, in quibus elaborarent.*

V. 584. *Trepidos in Turcas*] *Selimi Tur-*

tarum Imperatoris victoriis Leo perterritus, Christianos Principes ad persequendum, depositis domesticis odiis, communem Reipublicæ Christianæ hostem hortatus est. Sed pia Leonis studia, fatali socordiâ nostrorum Principum, cùm quisque alienæ gloriæ invidet, breviter perierunt. Ita Ciaconius in Leone X.

V. 597. *Pater*] Leo X. Pontifex, cujus triumphum de Turcis bello victis poëta imaginatur. Idcircò *aureus*, ob triumphi pompam.

V. 601. *Dii vestrum crimen*] Hîc Vida, quemadmodum aliis quibusdam locis, nimiùm *paganisat*, ut aiebat quispiam.

Lib. III.

Vers. 1. *Nunc autem linguæ studium*] Elocutionis tractat rationem liber hic tertius; quem meritò dicas Musarum esse manibus atque industriâ compositum: tanta est, in præceptorum delectu judicii subtilitas; tantus in explanatione nitor orationis; tantâ arte

præceptionibus sua intexuntur exempla. Planè cum Scaligero dicam, hic *rex est librorum Vidæ.*

V. 5. *Lustrandis*] Id est, illustrandis. Ut Cicero scripsit in Fragm. Poëmatum, ex Odyss. XVIII. 135.

Tales sunt hominum mentes, quali pater ipse
Juppiter auctiferas lustravit lumine terras.

Virgilius, Æn. IV. 6.

Postera Phœbeâ lustrabat lampade terras.

V. 7. *Audendum, puer*] Quintilianus, Instit. VIII. in procemio : *Plus exigunt laboris & curæ quæ sequuntur. Hinc enim jam elocutio-tionis rationem tractabimus, partem operis, ut inter omnes oratores convenit, difficillimam.*

V. 13. *Tempestas*] Quæ flores effundat pro grandine, ambrosiam pro imbre. Festiva imago, & eleganter poëtica. Eamne voluit exprimere Sarbievius? cùm scripsit lib. I. Od. I. v. II.

Grandinat gemmis, riguoque cœlum
Depluit auro.

Parum commodè. Nam grando gemmea sanè læderet non minùs, quàm lædit usitata; & aurum non est ejus naturæ, ut fluere possit in pluviam.

V. 15. *Verborum imprimis tenebras fuge*] Prima enim orationis virtus est perspicuitas; ita ut non tantùm intelligi possint, quæ dicuntur, sed etiam non possint non intelligi. Legetur utiliter Quintilianus, Instit. VIII. 2.

V. 16. *Nam neque*] Etsi Heraclito orationis obscuritas nomen fecit *tenebricosi*, vix tamen hîc illum notari crediderim: quid enim arti poëticæ cum Philosopho? Neque illos puto perstringi rhetores, qui suis discipulis auctores erant obscurandæ orationis, ut ex Livio Quintilianus refert alicubi. Poëtarum hic res agitur. An Persium iste spectat locus? Potest videri. Sed tamen illud quod addit Vida, *Si tantum fas credere*, inducit me ut credam tangi poëtam aliquem, cujus opera

interciderint. Cinnæ, qui æqualis fuit Catulli, atque Virgilii, nihil ad nos pervenit, & fuit ipse non limpidus poëta, ut indicat Martialis, lib. x. Epigr. xxi. 4. Itaque Cinnam existimo hunc ipsum esse, quem Vida designatum voluit. Illius quidem cum laude mentio est in aliquo epigrammate Catulli (xcvi) & in versu Virgilii, Eclog. ix. 35. Nempe laudabant ambo amici amicum.

V. 20. *Ille ego sim*] An assecutus Vida non est quod optabat, si quidem visæ sunt non supervacaneæ annotationes istæ? Hîc agenda mihi causa mea est. Quæro: an quod volebat non est adeptus, si tam fuit ab obscuritate remotus, quàm Cicero, quàm Virgilius, quàm Horatius? De his enim tribus affirmari potest id, quod de postremo affirmat in ejus vita Suetonius: *Obscuritatis vitio non tenebatur*, At illi tamen quanto annotationum comitatu septi ambulant? Non enim difficultatem intelligendi, & commentariorum necessitatem facit semper scriptoris obscuritas; sed plerumque lectorum vel ætas, vel indoles, legendi nimiùm inexpetta.

V. 39. *Ergo*

V. 39. *Ergo omnem curam impendunt, ut cernere nusquam Sit formas similes, naturæ exempla secuti*] Quemadmodum suos natura fœtus variat in immensum; ita boni scriptores, ejus sequentes exempla, student variandis scitè imaginibus, quas effingunt; ita ut nusquam *sit* possibile, aut fas, reperire in eorum operibus *formas* inter se *similes.*

V. 44. *Nonne vides, verbis ut*] Datur metaphoræ notio, illustrata exemplis. Videri potest Dionysius Longinus, de Sublimi genere Orationis, sect. XXXII. Gerardus Joannes Vossius, Oratoriar. Institut. lib. IV. cap. 6. & boni rhetores alii. Atque ut deinceps compendium fiat chartæ ac temporis, semel admoneo, in hujus Gerardi Joannis Vossii Oratoriarum institutionum libro quarto haberi explicata diligentissimè omnia, quæ ad figuras dicendi pertinent.

V. 58. *Sua res insignia*] Vocabula rerum propria, sunt veluti earum *insignia*; quoniam ex illis agnoscuntur.

V. 61. *Tum specie capti*] Cicero de Orat. III. 40. hâc de re Crassum inducit disserentem prorsus Ciceronianè. Hanc eamdem sententiam ex Aristotele breviter illustrat Dominicus Buhursius, in libro Gallicè inscripto: *La maniere de bien penser dans les ouvrages d'esprit.* Dialog. 3.

V. 73. *Res humiles*] Ea poëtæ laus est præcipua, si res humiles, præsertim verò hactenus indictas, ornet cultu & lumine orationis. Quo in genere Satiricus Gallus, in quadam epistola, quæ est octava inter editas, profitetur admirationi esse sibi Homerum atque Virgilium. Nitidam illam, in rebus penè sordidis, elegantiam styli exigit præsertim Genus didascalicum, quâ quia carebant nonnulli, omissâ rerum explicatione, ad putidas sunt fabulas delapsi. Est enim facilius compilare Ovidium, quàm Virgilii in Georgicis judicium poësimque imitari.

V. 95. *Indictis in rebus egestas*] Inopia vocabuli proprii in rebus nondum denominatis, carentibus appellatione certâ.

V. 110. *Spatiis angusti temporis arctant*] Cicero, de Orat. I. 16. *Est enim finitimus oratori poëta, numeris adstrictior paulò, verborum autem licentiâ liberior, multis verò ornandi generibus socius, ac penè par.* Quos Cicero *numeris adstrictiores*, eos Vida esse ait *arctatos spatiis angusti temporis.* Etenim ut harmonia, sic versus sine pedum ac temporum observatione non consistit : pedes autem ac tempora, quibus possunt versus decurrere, angustis includuntur spatiis & limitibus, cùm detur omnibus in soluta oratione locus.

V. 124. *Patrumque è nomine natos Significant*] Hæc sunt, quæ dicuntur nomina patronymica ; nempe à patris, avi, proavi, patriæ vocabulo derivata. De quibus copiosè disserit G. J. Vossius, in lib. II. de Analogia, cap. 28.

V. 127. *Africa terribili tremet*] Hoc est : Non dicet poëta : Afri timent : vel, Afros timor invasit. Sed rem ita exprimet :

Africa terribili tremet horrida terra tumultu.

Hunc Ennii versum servavit Cicero de Orat. III. 42. & Hieronymus Columna in hunc modum expendit, Comment. in Q. Ennii Fragmenta. *Versus mirâ arte editus ; in quo rei magnitudinem verbis æquavit : quandoquidem nihil eo rotundius, elegantius, nnmerosiusve dici poterat. Nam* T *litera sæpe inculcata tremorem exprimit.... Litera quoque* R *quæ crebrò, aut geminata, aut aliis consonantibus conjuncta, interstrepit, quàm horridam habeat pronunciationem, horroremque & strepitum imitetur, quis non percipit?* Cicero lib. de Oratore ait, hoc loco pro ipsis Afris sumptam Africam. Hanc figuram, ut idem ait Cicero, Rhetores *hypallagen* vocant ; quia quasi submurantur verba pro verbis. Grammatici verò *metonymiam*, quòd nomina transferantur.

V. 153. *Iniqui*] Id est, contra fas & æquum, per vim, rebus nativam suam formam eripiunt.

V. 162. *Ea sint modò digna Camenis*] Effugiendum est ab omni verborum vilitate, & sumendæ voces à plebe submotæ, ut possit poëta dicere :

Odi profanum vulgus, & arceo.
Hæc auctor Carminis de Bello civili.

V. 164. *Res etiam*] De comparationibus præcipit, quæ poëticis in scriptionibus insignem habent usum, vel ad res explicandas, vel ad recreandos animos. Poëtæ opera sua longioribus exornant comparationibus, quàm oratores: sed tamen adhibere modum debent, ne videantur non tam illustrare id argumentum quod tractant, quàm digredi ad aliud tractandum.

V. 194. *Suspecta dicta*] Verba suspici digna, pulchra, quæ locum habere possint in carmine, atque, ut alibi ait, *sint digna Camenis.*

V. 198. *Sicubi se quædam*] An fortè alicubi *inter verba versui meo commoda* (neque enim voces quaslibet quilibet versus admittit) aliqua se ostendant, quæ possim in usus meos convertere. Horat. lib. II. Epist. II. 115.

Obscurata diu populo bonus eruet, atque
Proferet in lucem speciosa vocabula rerum,

Quæ priscis memorata Catonibus atque Cethegis ;
Nunc situs informis premit & deserta vetustas.

V. 222. *Munere... vix ipse peracto*] Postquam scribendi munus peregeris, post opus absolutum, vix ipse agnosces ea, quæ ex vetere poëta sumpseris, & inverteris.

V. 234. *Sic regna Asiæ*] Quemadmodum Asiæ regnum, & opes Trojæ in Italiam transtulit Æneas ; ita Virgilius poëticæ artis gloriam, & quasi coronam, quæ propria erat Græcorum, Latinis tradidit. Videri potest cum fructu *Virgilius cum Græcis scriptoribus Fulvii Ursini studio collatus.*

V. 136. *Quamvis*] Hìc Vida exemplum dare voluit comparationis longiusculæ, & in descriptionem abeuntis : quales oblectamenti & varietatis causâ, boni scriptores aliquando interserunt; cùm se patiuntur oblatarum imaginum amœnitate tantisper abduci; perinde ac inter legendum abrumpimus filum nonnumquam, & illitas paginis iconas, lemniscos, varias sculptoris artes contemplamur.

V. 246. *Temerè*] Sunt, qui hujus adverbii syllabam ultimam non posse naturâ esse longam, quovis pignore contendant; quòd non descendat ab adjectivo secundæ declinationis. Contrà affirmant alii, non posse fieri, ut sit brevis, propterea quòd oriunda sit à nomine adjectivo *Temerus*, quod in usu erat veterum, & ab Accio, in II. *Didascalion* esse usurpatum ostendit Janus Laurenbergius in Antiquario: itaque non arbitror posse dubitari quin verè sit longa.

V. 249. *Crevit*] In animum induxit suum, decrevit, certum habet ac deliberatum.

V. 260 *Quæ mox manifesta probabunt*] Vidam non fuisse suâ spe falsum exitus comprobavit. Equidem J. C. Scaliger ait, *universum penè opus hoc esse quasi parodiam sumptam atque formatam à Virgilianis.* Cum bona Hypercritici venia, quisquis gustum habet legitimæ poëseos, dicet, sumptâ ex Vidæ aliquo versu parodiâ:

Ille ego sim, cui Pierides dent carmina Musæ,
Qualia sublecto Vida Marone canit.

V. 267. *Nos etiam quædam*] Agit de verbis novis & novatis. Partem hanc tractat G. J. Vossius Orator. Instit. lib. IV. cap. 1. §. 8. Hoc tantùm ex sapientum præscriptis moneo : in vocibus novandis nihil attentaturum juvenem , nisi quem superbia atque imperitia excitet. Eas enim socias habet novitas, novatio stimulatrices.

V. 278. *Exhaustis Itali potiuntur Athenis*] Latini fruuntur opibus & copiâ Græci sermonis , quem compilarunt quodammodo, & comportarunt in Italiam.

V. 282. *Civis & advena.*] Verba propria linguæ Latinæ , & in Latio nata , sunt quasi cives : advenarum titulo designantur ea , quæ aliunde sunt assumpta.

V. 289. *Barbarico*] Non tantùm è Græco, sed etiam è barbararum gentium sermone adoptata sunt in linguam Latinam vocabula. Respexit Vida Virgilianum hunc versum, Æn. II. 504.

Barbarico postes auro, spoliisque superbi,

unde suum parodiâ derivavit.

V. 294. *Quin & victa situ*] De verbis & vocabulis antiquis, eorumque usu. Atque est operæ pretium animadvertere, ut industriè voces ejusmodi Vida inseruerit in hunc locum. *Adaxit* veteribus erat pro *adegerit*, ut monet Pompeius Festus. *Indugredi* est *ingredi*, Lucret. IV. 368. *Olli* Virgilius posuit aliquando, sed in Æneïde duntaxat; quoniam carmen heroïcum magis decet illa species antiquitatis. *Veter*, id est vetus. Ennius:

Dum veter occubuit Priamus sub rege Pelasgo.

Fuat, Æn. X. 108. Illud, *victa situ*, sumptum est ex Æn. VII. 440. Atque ut, quod sentio, dicam: suspicor scriptum fuisse: *Vieta situ*, ita ut in *Vieta* priores duæ vocales id patiantur, quod in *suavis* & *suetus* patiuntur non rarò duæ item priores. *Vietus* porrò est marcidus.

V. 300. *His modus adsit*] Antiquæ voces inspersæ orationi possunt ei granditatis quid-

piam addere. At judicio est opus ac modo; ut in loco sint, & nulla appareat affectatio, quæ semper vitiosa est, & ridicula. Velim legi quæ scripsit G. J. Vossius, Orat. Inst. lib. IV. cap. I. §. 7.

V. 303. *Aptâ verborum ambire coronâ*] Id est, periphrasi explicare. Quintilianus VII. 10. *Res plurimæ carent appellationibus, ut eas necesse sit transferre, aut circumire.* Translatione exprimere, aut circumlocutione significare.

V. 305. *Verba etiam*] Præcepta de vocibus in unam componendis. Quod magis juvenes attentare debent, quàm nova verba procudere. Quantò tutius est frui paratis?

V. 309. *Monstra tricorpora*] Sic appellat voces ex tribus coalescentes... Præceptionem grammaticam, rem per se humilem metaphora *sublimat*, ut verbo utar Ennii. Neque tellus Itala fert monstrosos partus animalium tricorporum; neque sermo Latinus voces admittit triplicatas.

V. 311. *Perterricrepas*] En petitum ex Lucret. VI. 128. exemplum vocis triplicatæ & tricorporis, conflatæ ex tribus, *per*, *terreo*, *crepo*. Sonitus perterricrepus est, qui terrorem inter crepandum incutit... Epigramma ex portentosis ejus generis vocibus contexuerat per ludum Petrus-Daniel Huetius, quod exstat inter ipsius laudatissima carmina, & apprimè latina.

V. 312. *Argolici*] In eo genere Græci multa licere sibi voluere, præsertim verò Dithyrambici & Comici; quos imitatus est aliquando Plautus.

V. 323. *Levant*] Hoc est, molliunt, levigant, radunt. Lucret. V. 1266. Scribunt aliqui: *Lævant.*

V. 324. *Sichæumque vocant*] Æn. I. 347. Ubi Servius: *Quoties poëta aspera invenit nomina, vel in metro non stantia, aut mutat ea, aut de his aliquid mutilat; nam* Sichæus, *Sicharbas dictus est.*

V. 327. *Quàm populos Italâ*] Ita Virgilius (quod in ejus est vita) *cùm res Romanas*

inchoasset, offensus materiâ, & nominum asperitate, ad Bucolica transiit.

V. 329. *Sed neque verborum causâ*] Non oportet *canentem*, id est, carminum artificem, ullo modo adduci, ut *præter consilium*, ac rationem, temerè, addat res inanes, *verborum causâ;* ut nempe res illæ occasionem præbeant congerendi verba. Hi sunt, qui Horatio, Art. poët. 332. dicuntur, *Versus inopes rerum, nugæque canoræ.* Quales effundunt factores de metro magis, quàm de sententia solliciti Qua in re, ut in cœteris, Virgilii laudandum est judicium, qui maluerit in Æneïde versus relinquere quosdam imperfectos, quàm hemistichia suffarcinare inertibus verbis, & inanibus sententiis. *Hoc* (versus mutilos) *imitandum sibi existimavit Aonius Palearius in lib.* de immortalitate Animorum. *Sed non sic præiverat hac parte Maro, quasi id in laude poneret. Inde id potiùs profectum, quòd morte præventus non potuerit Æneïda ex sententia perficere.* Hæc G. J. Vossius, lib. de Imitatione, cap. IV. §. 6.

V. 333. *Mandatum & munus obire recusent*] Verba in versu locum non habent, nisi ut

rebus serviant, mentemque exprimant scribentis. At fieri potest, ut in æstu poëtandi, & versificandi, quædam obrepant sonora ad implendum versum; ignava ad fulciendam sententiam. Possunt dicere:

Nos numerus sumus, & rimas opplemus inanes.

Ea vult Vida excludi, ne fiat quod aliquo de versificatore dictum est, in ejus copiis tot calones esse, quot milites.

V. 355. *Huc ades*] Explicaturus artificium contexendi carminis, novam quasi propositionem præmittit, & novam attentionem excitat.

V. 365. *Utcumque claudere versum*] Sententiam aptè exprimit versus *utcumque* clausus, propè hiulcus; nisi quòd ultimam in hâc voce syllabam producit positio, sequente geminâ consonante.

V. 368. *Atque sono quæcumque canunt, imitantur*] Verba enim & prosodici eorum numeri, poëtis id sunt, quod pictoribus colores, & parem usum præbent in rebus exprimendis. Qui temperare colores arte nescit,

